



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De quibusdam speciebus homicidii, §. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

ficam, quæ sit ex obligatione
gravi subdenda Confessariis.

C A P V T VI.

Circâ Quintum Decalogi
præceptum.

§. I.

*De quibusdam speciebus
Homicidii.*

DE unica actione, seu
ictu, quo quis simul plu-
res occidit; diximus supra cap. 1.
§ 9 ubi etiam actum est de uni-
ca voluntate, qua quis vult occi-
dere simul plures. Egimus etiam
capite præcedente de differen-
tia Parricidii, & similium à sim-
plici homicidio, &c.

2 Solum hic, antequam ad
ulteriora progrediamur, adver-
to: si quis aliquem occidat, &
postea

postea discerpatur cadaveris membra, extrahaturve jecur, cor, vel similia: committere malitiam specie diversam à malitia communis homicidii: neque enim solum tunc separat animam à corpore, sed membrum à membro: quæ in hominum æstimatione videtur specialis turpitudine, proprio appellata nomine, Feritas; Multo magis si id in vivo attentetur.

Iam de Homicidio illud nunc superest explicandum; An locus sacer, ubi fortè sit homicidium, debeat explicari, tamquam inducens distinctam specie malitiam.

3 Dico esse explicandum tum in homicidio, tum in percussione gravi cum effusione sanguinis. *b Ratio est, quia tunc violatur Ecclesia, unde contrahitur malitia specialis.*

4 Dubitatur de percussione gravi, sine effusione sanguinis:

Vs

*a De Lug.
d 16 de
pæn. sect.
21. n. 149.*

*b Rag. l. 4.
pæc. Ecc.
2. c. 4 n. 14
aliq; pas-
sim.*

Ut si quis acriter verberaret suum inimicum in Ecclesia, nec vulnus faceret, contraheretne prædicti sacrilegii malitiam in Confessione explicandam? Et non contrahere probabilius *c. De Lug. de pæn. d. 16. sec. 10 n. 408. cont. prædictū Hag. loc. cit.* existimo; quia Ecclesiæ prohibito solum meminit de homicidio, & de percussione cum effusione sanguinis: ergo ad percussionem, sine sanguinis effusione, extendenda non est.

Quid autem hic intelligatur nomine loci sacri, §. dicam c. 7. §. n. 40.

§. II.

De Occisione in causa.

§. **V**ulneravit quis v. g. vel venenum, consiliumve dedit, tendens ad mortem alicujus; satisne est in Confessione causam mortis dumtaxat proponere, hoc est vulnus, venenum, I 7 confi-